

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXV. Quomodo Christium and gemitum pauperis. surgit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Dei et utilitatem sui, in unione divini desiderii mei quod habui in terris pro salute humana. Quinto, ingemiscat in unione omnis orationis quæ ex divino Corde meo profluxit, et Sanctorum meorum, pro salute omnium, tam mortuorum quam vivorum ; desiderans ut omnem flatum quem dormiens illa nocte trahit, suscipiam ac si tali intentione incessanter ad me ingemiscat : tunc ego qui votis animæ amantis negare nil possum, in mea divina sic compleam veritate. »

CAPUT XXXV.

QUOMODO CHRISTUS AD GEMITUM PAUPERIS SURGIT.

DIE quodam sancto, dum Conventus communicaret, et hæc Christi ancilla in lecto jacens infirma, in paupertate spiritus ad Dominum intimo corde altius ingemiseret, vidit Dominum de throno festine surgentem et dicentem : « *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam* » (PSAL. XI. 6). Surgente autem eo, omnes Sancti pariter surrexerunt, offerentes Deo in consolationem animæ illius omne servitium quod Deo in terris exhibuerant, et quæ passi fuerant, in laudem æternam. Insuper Dominus Jesus etiam omnia sua Deo Patri obtulit dicens : « *Ponam in salutari.* » (PSAL. XI, 6), hoc est, in meipso et per meipsum desideria ejus compleam. » Sic que laudes [pro ea] Deo Patri condignas persolvit.

Intellexitque divinitus quod quoties anima in paupertate spiritus ad Deum ingemiscit, desiderans eum laudare, sive gratiam habere, statim omnes Sancti surgentes, Deum pro anima insimul laudant, aut gratiam eidem impetrant. Si vero pro peccatis dolens ingemiscit, veniam implorant ; nec in

hoc Christo sufficit ; sed per semetipsum surgens dicit : *Ponam in salutari*, id est, per memetipsum desiderio ejus satisfaciam ; offerens Deo Patri pro anima illa laudes, vel quidquid desiderat, dignissime pro ea supplet. Post hæc Dominus ait : « O si unus gemitus ita excellenter est acceptatus, quomodo jam ulla tristitia in anima pauperis remanebit ? »

Gemitus
animæ ad
se Deum
intrahit

Alia vice cum etiam Dominum desiderans ad ipsum ingemisceret, dixit ad eam Dominus : « Quid modo habes ? Ecce quotiescumque post me ingemiscis, me tibi intrahis ; omnibus enim rebus me communiorem feci. Nulla denique res tam parva aut tam vilis est, nec etiam filum, aut una festuca, quæ voluntate tantum acquiri possit ; me autem homo sola voluntate, aut uno gemitu habere potest. »

CAPUT XXXVI.

QUALITER CHRISTUS ARDOREM CORDIS DIVINI SUI IN ANIMA
REFRIGERAVIT.

ITEM cum vice quadam contristata, ingemisceret eo quod sibi videretur se inutilem esse, quia infirmitate præpedita Ordinem tenere non valebat, audivit sibi Dominum dicentem : « Eia, fave mihi, ut ardorem divini mei Cordis in te refrigerem. » In hoc verbo intellexit quod omnis qui dolores et infirmitates cordis, tristitiam, dejectionem, sive quamcumque tribulationem in unione amoris, quo Christus in terris afflictiones et gravamina multa, et tandem ignominiosam per tulit mortem, libens et volens sustinuerit, in eo quodam modo ardorem divini Cordis sui temperabit, qui tam inæstimabili desiderio hominis quærit salutem. Quia cum modo in se tales